

ca quam immotam Sphæra tota circumvolvitur.

Axis Sphærae correspondet Diametro Circuli : quin imò Axis nihil aliud est quam Diameter certi cujusdam in Sphæra circuli. Siquidem quemadmodum è centro Sphærae innumeri Radij educi, ita & per idem innumeræ Diametri trajici possunt. Ea tamen Diameter saltem axis nomine censetur, circa quam (modo Sphærae prius motus adsignetur) Sphæra, uti dictum est, circumvolvitur. Atq; ex hac ipsâ Diametro, vel potius Semicirculo circa eam Diametrum circumvoluto Sphæra quodammodo oritur.

Extrema porrò Axis puncta, *Ejusdem Poli* vocantur.

Peculiare hoc est Circulis Sphærae eorumq; in primis Diametris, ut non tantum media earum puncta, sed & extrema attendantur. In Circulorum Planorum enim Diametris saltem centra pensitabantur : in Sphærae verò circulis & centra Diametrorum, & earum extrema seu Poli vel vertices.

Ceterum Circulorum, qui in Sphærae superficie describi possunt 1. alij sunt maximi, alij minores. 2. alij sunt invicem Paralleli, alij sese intersecant.

Sæpè multumq; mecum cogitavi, qua ratione studia eorum juvare queam, qui Sphæricorum etiam Trigonometriam addiscere velint. Non enim tam commodè circuli Sphærici, eorumq; sectiones & quæ inde enascuntur Triangula in cartâ plana delineari possunt, atq; circuli Plani & Triangula Rectilinea : imò difficilius, utut satis graphicè descripta, intelliguntur à Tironibus, quàm superiora. Tandem id consilij mihi alubescere præ alijs cœpit, quod video etiam Finckium suis Lectoribus dedisse in lib. XII. Geom. quando ait : *Hoc tamen admonitum Lectorem Philomathem volo : ut sibi Sphæram comparet, distinctam circulis : qualis esse potest, qua vulgo ab Astronomis decem Circulis com-*